



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

Candido Lectori Andreas Brogiottvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40214

CANDIDO LECTORI ANDREAS BROGIOTTVS.



Et Sibyllæ folia, in quibus scribebantur oracula, & quæ auris cælestibus afflari olim solita fuisse, Poëtæ suis fabulis memoriæ prodiderunt, tam citò per antrum spargebantur, quàm citò per Urbem, atque hinc per Orbem vix typis missa, ex officinis Bibliopolarum volitarunt eruditissima Commentaria in Rubricas Missalis & Breuiarij Romani, à R. P. D. Bartholomæo Gauanto Clerico Regulari S. Pauli diligentissimè elaborata. Fuerit dignitas planè cælestis Rituum Sacrorum, quorum traditur accuratissima cognitio: fuerit nobilitas præclarissimi Ordinis, qui aurea veluti Catena, dum gemmas sacrarum eruditio- num in vnius Voluminis aureo tamquam monili conclusit, illustriores effecit: fuerit demum vtilitas, seu necessitas præstantissimi Operis, plenissimique sacræ delectationis, quæ vniuersos pænè Ordines Reipublicæ Christianæ, vt emerent, ac lectitarent, pellexit: illud certè verò est verius, tam felicibus auspicijs in lucem Opus prodissè, vt prodire iterùm homines sapientissimi, non cupiant solùm, verùm rogent etiam vehementiùs; rara Operum felicitate, his præsertim temporibus, in quibus librorum superfluens copia legendi satietatem inuexit. Quorum ego honestissimæ postulationi ita occurrendum existimaui, vt nouis, supra trecentas, præclarissimis Annotationibus ditatum Opus, ijsque Romanâ lance non semel examinatis, illustrioris Tituli nouum præferat in fronte decus. Ac quemadmodum in eo congestæ conclusæque sunt Christianæ pietatis, & diuini cultus, pretiosissimæ opes, vt vix quidpiam in hac parte desiderare aliud religio hominis solertissimi possit; non secùs, vt rerum opulentissimæ dignitati nominis præstantia responderet, *Thesaurus Sacrorum Rituum* deinceps appelletur.

Sed Thesauro, qui vel in publico Ciuitatis, vel in Cæsaris loco inueniretur, dimidium esse Cæsaris, dimidium Inuentoris naturalem æquitatem secuti Romani Principes præclaris Constitutionibus olim statuerunt: opportunè ad rem meam, atque ex animi sentètia; An melius optari quidpiam à me poterat, quàm vt The- saurus hic à me inuentus, ipso vel Iure Cæsareo, Summo deberetur Pontifici, ac integerrimo eiusdem Nepoti; quorum alterum rerum Sacrarum Arbitrum supremum, alterum proximum ministrum cælestis prouidentia Ecclesiæ suæ dedit? Cûræ igitur secundæ huius excudendi Operis omnis prorsus expertes sunt curæ, cum nouæ Epistolæ nuncupatoriæ, tum exquirendi Sacri Principis, cui possent hæ iterùm dicari. Priorem enim partem VRBANI VIII. Pont. Maximi, alteram esse Francisci Cardinalis Barberini, non loci possessio, in quo inuentus Thesau- rus est, sed Maiestas nominis, quo inscriptus est, apertissimè demonstrat.

Si quæ mihi pars Inuentori obueniret, ea demum tora eorundem est, quibus ego iam pridem, & mea, & me ipsum lubentissimè deuoui. Vale candidè Lec- tor, & Thesauro in compendium misso sospes fructuere.

VRBA-